



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Coloniae, 1622**

Ad paupertatem se præparat. 23

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44900**

fama locum, & religione insignem. 20 Haud longè prouectus, seruitijs duobus se abdicat; cùm priùs rerum, quas de veteri fortuna sibi reliquas fecerat, partem ijs erogasset. 21 Inde solus esse; atque toto itinere nullã ad eò noctem agere, qua in se ipse flagris non animaduerneret. Idque iam tum salubriter instituit, quod postmodò suis æternum esset; Omnia, quæque facere, quæque ferre contingeret, ea in vnius Numinis MAIOREM GLORIAM reducere. Interim dum pergit secum assiduè reputare, quibus eximijs studijs Numen sibi demereatur; subit, vota suscipere; & suam corporis animique castitatem CHRISTO ac virgini MATRI consecrare. Quod decretum felici postmodùm æternaq; constantia signauit. 23 Igitur vt proximè eum montem, de quo de-

mon-

monstrauimus, abfuit; vestimentum alicunde sibi coemit, nouè ruditerque factum; quò pristinum corporis ornatum emutaret. Id erat omne, talaris pro tunica saccus; spartei pedum calcei; tum in baltheum funis, & haustrum de veteri cucurbitâ: paupertina supellex, ac profectio, quam in Palæstinam moliebatur, destinata.

24 Vix etiamdū illo in monte constitierat; cū inter primas ad eò curas quærendo cæpit de medico circūspicere; cui omnes animi sui plagas nudaret; quemque super serijs rebus consulere tutò posset. Et vsu fortè venit, vt in Ioannem Clanonem incidere, patria Gallum, virum religione ac cetera virtute singularem. Apud quem tridui spatio omnem priorē vitā, inter gemit⁹, veri doloris